

KNY-18-00560

E L E G I A

AD REVERENDISSIMUM

A C

DOCTISSIMUM DOMINUM

ANT. HARTMANN

TITULAREM CANONICUM

AGRIENSEM ,

ARCHI. DIACONUM COMITATUUM

SZATHMÁR ET UGOCSA CAN.

UNITORUM ,

PAROCHUM FÉNYIENSEM

DIGNISSIMUM

CUM IN MUNERE SUO

ADMODUM REVERENDUM, AC

CLARISSIMUM DOMINUM

FRANCISCUM EÓTVÓS,

DE VÁSÁROS-NÁMÉNY

Sacrum Curionem Felső-Bányensem Legiti-  
me constabiliret die 2<sup>a</sup> Junii Anno 1786.

R. 9056 / 983



----- Si danda labori  
 Præmia ; si Virtus , si quid benefacta merentur ,  
 Huc calamos , huc ferte lyras. -----

MOREIUS

Arædiæ Custos Generalis  
 Carminum Libro I.

---

**H**ic ubi fossor amat rimari viscera terræ ,  
 Et sub monte sitas depopulatur opes.  
 Hic ubi fornaces sudant , atqve æra liqvescunt ,  
 Te versu ANTONI commemorare juvat.  
 Non quia tam exiguis numeris tua crescere vellem  
 Nomina , quæ hic nequeunt iam magis esse palam.  
 Sed promptos animi conor depromere sensus ,  
 Atqve pia grates mente referre tibi.  
 Qui postquam tali dignum statione putasti ,  
 Legitime firmas nunc in honore virum.  
 Quem mox laudator justis super astra ferebas  
 Vocibus , ut cæpit cognitus esse tibi.  
 Vidisti pro more tuo , qui cernis acutum ,  
 Doctarum esse viri fertile pectus opum.  
 Nec male vidisti. Verum quid mentis acumen  
 Fæcundæ nequeat rite videre tuum ?  
 Ille est excultis studio de cætibus unus ,  
 Quique Sacra , & Musis , & tibi Phæbe facit.

Atqve



Atque hæc res aliquid cum illo mihi fæderis affert,  
Musarum, ac Phæbi cultor uterque sumus.

Non igitur sine flagitio potuisse tacere  
Me puto, nec studii dona tulisse mei.

Ipse etiam tibi se multum debere fatetur  
ANTONI populus, quem Patris arte regit.

Illo se nimium gaudet Pastore beatum,  
Cujus præsidio tempora pacis eant.

Relligioque Dei vigeat, pietasque precantum,  
Et quid quid fieri Fasque, Decorque sinunt.

Ipse hæc lætitiæ testari testæ videntur,  
Quæ tali Domino sponte subesse petunt.

O! utinam præfens cruce fulgidus ille VIR esset,  
Quo nemo hospitium largior esse potest.

Cujus sat nullis laudari urbana voluntas  
Carminibus poterit, mensque decoris amans.

Qui clausum memori FRANCISCUM pectore gestat,  
Est bene VIR meritis cognitus ille suis

O! si oculis hæc prospiceret solemnia, quæ tu  
FRANCISCI institeras nunc peragenda bono.

Pectore lætitiæ non concipiente vigeret,  
Atque mihi in votis (diceret) istud erat.

Et quot sunt? [quos non memoro] quæ nata voluptas,  
Dum rem FRANCISCI te stabilire vident.

I! precor, & bene de multis non parce mereri,  
Dona dabit meritis Agria grata tuis.

Hæc subductum oneri accipiet, curisque levatum,  
Exigit impensus præmia justa labor.

Quis vero HARTMANNI studium, sudataque scripta,  
Dotisque exculsi nesciat ingenii?

Provida conspicitur vigilantia muneris, ad quam  
Pastores Ovium sollicitare solet.

\* \* \*

---

Datqve operam imprimis , exemplo ut præset , &  
actu ,

Utilitas populi quæ facienda jubet.

Norma potest dici vitæ , morumqve Magister ,  
Quales tam Sancti muneris esse decet.

Illi , si fuerit læsus , non lædere mos est ,  
Illi est ingenitus cum probitate pudor.

Recta sequi , miseris succurrere , Sacra tueri ,  
Vitæ illi est nunquam mobilis ordo suæ.

Cætera quæ præbet conamina publica , si quis  
Tentaret paucis dicere , littus aret .

Non ego dum loquor hæc , nimium dixisse videbor ,  
Facta viri possunt conciliare fidem.

Ipsæ licet pugnes ANTONI fronte modesta ,  
Nec cupias laudes me revocare tuas.

Verba tamen [ si quid video ] vix nostra negabis ,  
Falsave iudicio dixeris esse tuo.

Hoc etenim tantum , quantum esset ab igne calorem  
Demere , & arboribus velle negare comas.

Littoribus conchas , aut vernis fontibus undas ,  
Aut flavis apibus , quas alit Hybla , favum.

Vives , donec erunt virtuti præmia , donec  
Iusto stabit honos , ingeniiqve bonis.

Nec tua fama ævo , & longis vitabitur annis ,  
Tempus in hanc poterit Juris habere nihil.

*Obtulit Felsö - Bányæ ,*

JOANNES CHRYSOSTOMUS HANNULIK

Collegii Romani de Arcadia & Societatum:

*Hasso - Homburgensis cett. Sod.*